

Johann Tarnow    Andreas Virginius

## **Disputatio Solennis De Aeterna Praedestinatione Hominum In Fide Iustificante ad finem usq[ue] vitae perseverantium**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737676663>


Druck    Freier  Zugang



Vert. : A. Virginus

F. Jarnovius.

R. U. theol. 1626.



DISPUTATIO SOLENNIS  
DE

**ÆTERNA  
PRÆDESTINATIONE**

HOMINUM IN FIDE JUSTI-  
ficante ad finem usq; vitæ per-  
severantium,

*Quam*

JEHOVA AUSPICE

*In Inclytâ Academiâ Rostochiensi*

SUB PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi*

*VIRI,*

**DN. JOHANNIS TARNOVII,**

SS. Theolog. Doctoris & Professoris celeberrimi,  
Præceptoris & Promotoris sui æternum  
honorandi,

Pro gradu in Theologiâ, quem vocant  
Licentiam, consequendo

PUBLICÆ

*Ventilandam proponi & defendendam suscipit*

**M. ANDREAS VIRGINIUS**, Pastor & Præpositus  
Ecclesiæ & Diœceseos Gartzensis in Pomeraniâ,  
designatus,

*In auditorio Majori hõris ante. & pomerid.  
a. d. 2. Novembris.*

ROSTOCHI

Literis Joachimi Pedani Typog. Acad. Anno 1625.

VIRIS

*Admodum Reverendis, Clariss. & Excellentiss.*

<p><b>Dn. M. Davidi</b> Reutzio, Generali ulterioris Pomeraniae Superattendenti spectatissimo, dignissimo.</p>	<p><b>Dn. Danieli Cra-</b>mero, SS. Theol. Doct. &amp; in illustri Pädagogio Stetinensi Professore celeberrimo &amp; ad ædem D. Mariæ Pastori vigilantissimo.</p>	<p><b>Dn. Johanni</b> Corvino, S S. Th. Doctore eximio, &amp; Parochialis Ecclesie Dantiscanae Pastori exercitatissimo.</p>
--	---	---

ET

*Nobilissimo, Amplissimis, Prudentissimis, Prestantissimis  
& Integerrimis Viris,*

<p><b>Dn. Lucæ Puschio,</b> Gryphisvald.</p>	<p>} Rerumpubl. Senatibus dignissimis.</p>
<p><b>Dn. Johanni Dillies/</b> Stetinensis,</p>	
<p><b>Dn. Eberhardo Werthern</b> Mercatori &amp; civi Stetinensi primario.</p>	
<p><b>Dn. Johanni Virginio,</b> Hæreditario in Schwessien &amp; Reipubl. Gartzensis Consuli meritissimo.</p>	

*Dn. Mecenatibus, Promotoribus, Fautoribus &  
Fratri suo Germano, summi honoris & amoris cultu  
prosequendis,*

In debita gratitudinis testimonium, firmamq; observantia tesseram, hanc disputationem Theolog. à se conscriptam & pro Licentiâ summâ in Theologiâ gradum consequendi habitam dicat, consecrat & offert



**M. Andreas Virginus,** Ecclesie Gartzensis Pastor & Dioceseos illius Præpositus designatus, S S. Theologie Candidatus.



# DE ÆTERNA PRÆ- DESTINATIONE.

## THESIS I.

**R**es in S. literis occurrunt sententiæ, quibus  
T. O. M. D. voluntatem suam *Evangelicam* de sa-  
lute generis humani clarissimè nobis manifestavit  
& propalavit: *Prima* est ita Universalis, ut latitu-  
dine suâ complectatur *omnes in universum homines*,  
& ab Apostolo traditur hoc modo: *Vult DEUS*  
*omnes homines salvos fieri*, 1. Timoth. 2. vers. 4, intellige 1. cum hõc  
*ωεσδιόεισμῶ* vel determinatione *predicati: propter Christum*:  
Act. 4. v. 12. 1. Cor. 1. v. 30. Esa. 53. v. 6. Johan. 1. v. 29. 1. Joh. 2. v. 2.  
1. Cor. 15. v. 22. 2. Cor. 5. v. 15. 2. Cum hac conditione *subjecli*:  
*Si credituri sint in eum*, Rom. 10. v. 9. Act. 10. v. 43. Johan. 3. v. 16.  
Marc. 16. v. 16. Rom. 3. vers. 28. c. 4 v. 5. Gal. 2. vers. 16. Ephes. 2.  
vers. 8.

2. *Secunda* est ita Universalis, ut concernat *omnes* in Chri-  
stum *credentes*, & à Servatore nostro Johan. 3. v. 16. his exprimitur  
verbis: *Omnis, qui credit in Filium Dei, non pereat, sed habeat vitam*  
*æternam*; Confer etiam Marc. 16 v. 16. Joh. 6. v. 40. & intellige  
1. cum prædictâ determinatione *predicati: propter Christum*.  
2. Cum hac conditione *subjecli*: *Si in fide salvificâ usq; ad finem vite*  
*perseveraturus sit*, Apoc. 2. v. 10. Nota: *Universalem* hanc etiam  
sententiam dicimus *respectu omnium credentium*, quæ tamen *respectu*  
*omnium hominum* restrictionem non minimam patitur, & ad parti-  
cularitatem summam redigitur, ideoq; non *ἀπὸ πάντων* sed *ἐκλεκτῶν*  
& *κατὰ τὴν* *Universalem* tantùm vocamus.

A 2

3. Ter-

3. *Tertia est magis particularis, quæ solòs in fide justificante usq; ad finem vitæ perseverantes comprehendit, & à procuratore salutis nostræ J. C. sequenti formulâ proponitur: Qui perseveraverit usq; ad finem, hic salvus erit, Matth. 10. v. 22. c. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Heb. 3. v. 6. 14. intellige prædicatum iterum cum hac determinatione: propter Christum.*

4. *Postremâ hac sententiâ protulit Deus in lucem æternæ glorificationis decretum: Hæc enim inclusa tenet & aperit ea, quæ soli decreto electionis conveniunt: nam. 1. determinat proprium Electionis Objectum, quod sunt soli homines in fide justificante usq; ad finem vitæ perseverantes. 2. fidem & perseverantiam in eâ finalem attribuit illis, non modo prædicationis conditionato, & prout ad salutem nostram a Deo sunt ordinate, omnibusq; hominibus offeruntur, Sed categorico, prout ab hominibus per Spiritus S. efficaciam in cordibus ipsorum operantis acceptantur.*

5. *Hoc ergo decretum ut plenius, quantum quidem in hac vitâ ab intellectus nostri imbecillitate fieri potest, à nobis cognoscatur, brevem ( ut enim proluxi sumus, temporis ratio aliq; impedimenta non permittunt) de illo ex S. literis, divinâ favente gratiâ tractationem adornaturi sumus.*

6. *Constat autem nobis de hoc decreto, non ex libro nature, nec creature, hoc est, nullâ notitiâ naturalis specie, nec ἐμφύτω nec ἑστικτῶ, sed ex sola revelatione vel notitiâ θεοδοτω, eâq; non legis, sed Evangelij. Comprehenditur enim sub mysterio illo, quod ἑσθνοῖς ἀσυνίοις fuit absconditum, in V. quidem Τ. Δὲ ἑσθῶν θεοφηνῶν, in N. autem per Christum & Apostolos multò illustriore & clariore modo patefactum Rom. 16. v. 26. Ephes. 3. v. 9. Col. 1. v. 26. Heb. 1. v. 1. Tit. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 10. Johan. 1. vers. 8.*

7. *Cum ergo Deus hoc mysterium nobis in S. literis revelarit, quantum ad rationem consequendæ salutis sufficit, nostrum erit illud ἐρευνᾶν Joh. 5. v. 39. h. e. scrutari atq; altiore mentis indagine inquirere: In hunc enim finem id in lucem est productum & manifestatum, ut illud sedulo discamus. Sicuti enim ea, quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, ita, quæ manifesta*

festā fecit, non sunt negligenda, ne in illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati Ambrosii. de vocat. gent. c. 7.

8. Sed quæritur, an etiam hoc *revelatum* mysterium, prædestinationis *a priori* cognosci queat. Ad hanc quæstionē *distinctè* respondemus: 1. Electio seu prædestinatio consideratur *vel à Φαιπέληνός, in abstracto*, quatenus est actio Dei, ut in sub seqq. definitur; *vel ωγαδελήνός*, (ut ita loquamur) *in concreto*, quod *Electi* vel *prædestinati* nomine effertur: Hoc *posteriori* modo sumitur iterum *vel Universaliter*, de Electo *in genere*; *vel Singulariter* sive *in individuo*; de electo hoc vel illò, Petro, vel Johanne.

9. De Electione *in abstracto*, quin & de Electo *in genere*, sumpto non dubitamus asserere, cognitionem *utriusq;* dari, non tantum *a posteriori* per effecta & consequentem executionem, sed etiam *a priori* per causas & antecedentia (intellige hinc *prioritatem ordinis, non temporis*) decreta, in libro *concordiæ* explicata.

10. De Electo *singulariter* vel *in individuo* spectato quæstiones distinctæ moveri possunt: 1. *An hic vel ille fit ad vitam æternam prædestinatus?* 2. *Cur sit prædestinatus?* De illo non nisi *a posteriori* judicare possumus: Quando enim quis in fide usq; ad finem vitæ perstitit, de eo verè pronuntiare possumus, quod ad vitam æternam fuerit electus: De hac *a priori* quoq; judicium fieri posse, neminem fore arbitror, qui id negatum iverit: quandoquidem ex S. literis causæ electionis, & *consequenter* Electorum *cum in genere tum in individuo* sunt nobis sat conspicuæ.

11. His præcognitis ad *definitionem* ejus ex S. literis extractam progredimur, quæ talis esto: *Prædestinatio vel electio* (insignitur hoc *duplici* nomine in S. Scriptura, quo de vide Rom. 8. v. 29. c. 9. v. 11. c. 11. v. 5. 29. Eph. 1. v. 4. 5.) *est decretum divinum, juxta quod* (Ephes. 1. v. 9. 11. Rom. 8. v. 29. c. 9. v. 11.) *Deus* (Ephes. 1. v. 11. 2. Thess. 2. v. 13. Act. 13. v. 48. *non propter opera prævisa* (Rom. 9. v. 11. cap. 11. v. 5. 6. *sed ex mera sua gratiâ & misericordiâ* Rom. 9. v. 11. c. 11. v. 5. 6. Ephes. 1. v. 6. 2; Timoth. 1. v. 9. 10. Johan. 3. v. 16.) *in Christo* (Ephes. 1. v. 4. 5. 10. 2. Timoth. 1. v. 9. 10. *homines* (2. Thess. 2. v. 13. 1. Petr. 1. v. 2. 5.) *virtute Spiritus S. per Evangelij prædicationem* (2. Thess. 2. v. 13. 14. 1. Petr. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 9. 10. Ephes. 1. v. 9. Johan. 17. 20.) *perseveranter in Christum credituros* (Matth. 10.



vers. 22. c. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Apoc. 2. v. 10. ) *juxta ἀρχαίωσιν* ( Rom. 8. v. 29. 1. Pet. 1. v. 2. ) *ante jacta mundi fundamenta* ( Ephes. 1. v. 4. 2. Theff. 2. v. 13. 2. Timoth. 1. v. 9. *ad vitam æternam ordinavit* ( Ephes. 1. v. 4. Act. 13. v. 48. Rom. 9. v. 11. Rom. 8. vers. 29. 2. Theff. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 2. 5. ) *in laudem gloriose gratiæ suæ & sanctificationem nostri* Ephes. 1. v. 4. 6. 12. 14.

12. *Mysterium hoc duplici designatur nomine: 1. vocatur prædestinatio*, Rom. 8. v. 30. Eph. 1. v. 5. &c. Græcè *προορισμός*, *ἀπὸ τοῦ προορίσθαι*, quod significat ad certum finem ordinare, ita ut simul media ad illum finem ducentia determinentur: Complectitur ergo hoc verbum in se duo ( 1. ) finis ordinationem ( 2. ) mediorum determinationem.

13. Usurpatur autem hoc in S. literis ( 1. ) *de rebus* ut 1. Cor. 2. v. 7. Act. 4. v. 28. ( 2. ) *de personis*, & designat cum primis electionem *τῶν μελλόντων εἰς χριστὸν πισθεύειν*, vide supra c. 1.

14. 2. Vocatur *Electio*, Græcè *ἐκλογή*, *ἀπὸ τοῦ ἐκλέγεσθαι*: quod similiter accommodatur vel ( 1. ) *rebus*, & significat rem aliquam approbare, diligere, cæterisq; præferre, vel etiam ad usum nobiliorem destinare, vide Esa. 58. v. 6. Gen. cap. 13. v. 11. Deut. 12. v. 11. vel ( 2. ) *personis*, & sic tribuitur *vel* Christo Esa. 43. v. 10. *vel* Angelis 1. Tim. 5. v. 21. *vel* hominibus; quo pacto adaptatur, ( 1. ) toti Ecclesiæ cætui, quem ex omnibus hominibus sibi Deus per verbum colligit, & in populum peculiarem eligit Deut. 4. v. 37. c. 7. v. 6. ( 2. ) certis quibusdam personis destinatis *vel* ad publica munia obeunda, sive Ecclesiastica ea sint, sive politica, Exod. 18. v. 15. Deut. 18. v. 5. 1. Sam. 10. v. 24. Luc. 6. v. 13. Act. 1. v. 24. *vel* ad vitam æternam per fidem in Christum consequendam Ephes. 1. v. 4. in quâ significatione vox *Electio* per metonymiam pro ipsius personis ad vitam æternam electis accipitur Rom. 11. v. 7. *Electio* ( h. e. *Electi* ) consecuta est.

15. *Varia isthæc vocis hujus significatio & accommodatio tria nobis suppeditat* *περίσματα*. 1. Vocem *Eligendi* semper in *bonam* partem usurpari, nunquam in *malam*. 2. Separationem quandam *vel* personæ alicujus ab aliâ personâ *vel* rei alicujus

cujus ab aliâ re in significatione suâ includere. Confer loca Num. 16. v. 9. 1 paral. 15. v. 2. Deut. 7. v. 6. 3. Prædestinationem & Electionem in hoc salutis nostræ negotio *equipolenter* in S. Scripturâ usurpari, longè remoto omni *reali* discrimine: De illo enim quod est *rationis*, dicam nemini scribimus.

16. Electioni vel prædestinationi *synonymon* est *scriptio in libro vite*, quæ juxta stylum scripturæ nihil aliud est, quam electio perseveranter in Christum credentium ad vitam æternam. Quod S. Scriptura Deo *librum* assignet, id nos oportet intelligere *improprie* per quandam *εὐθετατισθεῖαν*, sumptâ translatione à Regibus & principibus, jura, privilegia, & redditus suos, vel etiam personas, ad officium aliquod destinatas, in libro quodam consignantibus, ne fortè alicujus rei oblivio ipsos capiat. Ita S. Scriptura, quando æternam, infallibilemq; Dei notitiam & providentiam omnium rerum vult exprimere, ad humani ingenii infirmitatem *συγκραταλιστουσα* librum ipsi attribuit.

17. Est ergo *liber hic vite* nihil aliud, quàm Dei notitia, quâ specialiter novit & curat electos. *Scriptio* verò in hunc librum designat, infallibilem certitudinem illius dissectionis divinæ, imò ipsum electionis decretum de hoc vel illo factum infra th. 24. & supra th. 15.

18. Cum autem notitiâ & providentiâ divina pro diversitate objectorum *diversimodè* sese habeant, hinc adeò fit, ut non *unus*, sed *plures* libri Deo in S. literis assignentur, & non incommodè juxta notitiam & providentiâ DEI *generalem* & *specialem*, in tres quasi species distribuantur, quarum *priores dua* ad notitiam & providentiâ Dei *generalem*; tertia verò & postrema ad specialem referri possit ac debeat.

19. Et *primus* quidem liber nominari potest *liber universalis διοικήσεως*, vel *gubernationis*, qui nihil aliud est, quàm præsentissima omnium rerum creaturarum notitia, cum omnipotenti earum conservacione atq; gubernacione conjuncta; de quo libro intelligenda sunt, quæ extant in Apoc. c. 5. v. 1.

20. Sc-

20. *Secundus* priori quasi subordinatus, vocari potest *liber universalis* *καθολικός* h. e. iudicii, quo Deus consignata & perspecta habet singula atq; universa facta hominum, tam mala, quam bona, ut secundum sua quisq; opera iudicetur: quo de libro Prophetæ Dan. c. 7. v. 10. Et Iohannes in Apoc. c. 20. v. 12.

21. *Tertius* & ultimus appellatur *liber ζωῆς vite, aut viventium* Pf. 69, v. 29. Pilip. 4. v. 3. Apocal. 3. v. 5. c. 17. v. 8. c. 20. v. 12. 15. c. 22. v. 19. Aliquando magis *absolute* & quasi *καθολικός ἐξ ὅλων* nuncupatur *liber ille* Dan. 12. v. 1. *liber ætæ*, scilicet Dei, Exod. 32. v. 32. Aliquando verò *duplicem* *θεογονοεισµόν* habet annexum, vide Apoc. 13. v. 8 c. 21. v. ult. Et sicut *in genere* liber Deo tributus notat ejus scientiam & providentiam, sic *in specie* liber vitæ nihil erit aliud, quam singularis salvandorum cognitio 2. Tim. 2. v. 19. quos Deus ex gratiâ propter meritum Christi perseverante, fide apprehensum & ab æterno prævisum, ante facta mundi fundamenta ad vitam æternam eligit in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

22. *Nota* (1.) Codicem Biblicum Eccl. 24. v. 32. in participationem hujus nominis quoq; apud alios venire, eò quod verba vitæ contineat, & viam vitæ æternæ demonstrer; sed *distinctionis* ergo solent eum appellare librum vitæ *materialem* Verùm quum liber sit Apocryphus, & verba hæc in græco textu non invenimus, nos hæc nostra non facimus.

23. (2.) Appellationem hanc à nonnullis quoq; assignari Christo vitæ autori, sed *ἀδυνατοῦ* & *suo quodam modo*, quatenus nimirum in ipso facta est electio ad vitam æternam, & omnes atq; singuli perseveranter credentes ipsi ceu palmites viti inseruntur & implantantur. Gal. 3. v. 27 Ioh. 15. v. 4. quæ ut rectè asseruntur, ita etiam à nobis acceptantur. Verùm *præcisè* & *formaliter* per librum vitæ non nisi notitiam Dei specialem cum providentiâ speciali conjunctam, & ad solos in fide perseverantes restrictam in S. literis absq; dubio intelligimus.

24. Ex his elucet assertionis nostræ veritas de descriptione in librum vitæ, quod *stylo scripturæ* nihil, *quoad rem*, sit aliud, quam ipsa prædestinatio vel electio perseveranter in Christum credentium ad vitam æternam: Dixi, *quoad rem*; sunt enim nonnulli,

Nulli, qui *rationis discrimen* hic fabricant, ita ut Electio sit *prior ordine*, scriptio in librum vitæ *posterior*: Sed cum Deus unico actu isthæc perficiat, & credentes eligendo scribat, scribendoq; eligat, propterea discrimen illud suo loco relinquimus, quippe quod radicatur magis in ordine actionum humanarum, quàm divinarum. Non tamen super hoc cum quoquam litigabimus. Tantum de *definito*: nunc ad *ἐξήγησιν definitionis* nos conferimus.

25. *Primo* definitur per *decretum* quod est juxta *propositum* Eph. 1. v. 5, 11, Rom. 8. v. 29. c. 9. v. 11. 2. Tim. 1. v. 9. Prædestinatio enim est pars divinæ providentiæ, quandoquidem est peculiaris quædam illius actio circa homines salvandos: *Includit* autem providentia divina *tria* 1. *περίγνωσιν*, rerum omnium atq; singularum præscientiam, 2. *πρόθεσιν* vel *προορισμὸν* æternum Dei propositum & decretum. 3. *διοίκησιν* decreti illius executionem, vel actualem rerum decretarum gubernationem. *πρόθεσις* illa æterna exactissimè respondet actuali rerum in tempore *διοικήσει*: Quicquid enim & quomodo Deus *in tempore agit*, illud etiam eo modo *ab æterno agere decrevit*. Cum autem providentia divina *maximè* sit occupata circa salutem hominũ, non minus in actu Salvationis, quàm in alijs *hæc tria* conspiciuntur: nam **I.** de *περίγνωσει* testatur Apostolus 2. Tim. 2. v. 19. Solidum, iniquiens, fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: *Novit Deus qui sint sui*. 2. de *πρόθεσι* ad Ephes. 1. v. 5. sic docet: *Qui prædestinavit nos in filios per J. C. in sese juxta beneplacitum voluntatis suæ &c.* v. 11. prædestinati sumus secundum *propositum* ipsius, omnia operantis juxta *decretum* voluntatis suæ. 3. de *διοικήσει* hujus decreti, quæ consistit in glorificatione electorum, sic Apostolus disserit Rom. 8. v. 30. Quos præcivit, eosdem & prædestinavit, quos prædestinavit, eosdem & vocavit, quos verò justificavit, hos & *glorificavit*.

26. Ex his pro sententiã nostrã stabiliendã facimus conclusionem ejusmodi: Prædestinatio *aut* est *περίγνωσις*, *aut* *πρόθεσις* vel *προορισμὸς*, *aut* *διοίκησις*: Sed (1.) non est *περίγνωσις*. Hæc n. *vel* notat in genere Universalẽ & simplicẽ omnium rerũ *notitiam*.

B

tiam

tiam Job. 10. vers. 4. vel in specie notitiam ad ordinem electionis restrictam Rom. 8. v. 30. Priori modo quin à prædestinatione differat, neminem dubitare autumo: posteriori quoque modo ab eâ discriminatur ratione ordinis, tanquam antecedens à consequente. Nec (2) est specialis διοίκησις; Hæc enim utpote, quæ potissimum in ultimo actu apparet, consistit in glorificatione, quæ est decreti electionis executio Rom. 8. v. 30. Relinquitur ergo (3.) quod sit *ἄριστος* vel *ἄριστος*: Hi enim termini sunt, quoad rem ipsam æquipollentes.

27. Sunt quidem nonnulli, qui discrimen aliquod faciunt inter voluntatem, propositum & decretum Dei, quale est interlatum & angustius, vel generale & speciale, antecedens & consequens, ita ut prior terminus sit generalior posteriori, & voluntas antecedit propositum, & hoc antecedit decretum: Hæc enim ordine se invicem ita sequuntur: Deus aliquid vult, volitum proponit, propositum decernit. Sed hoc discrimen est tantum rationis, & potius in hominibus quàm in Deo locum habet. Deus enim vult aliquid proponendo, & proponit id decernendo; Et vice versâ; Deus decernit aliquid proponendo, & proponit id volendo.

28. Præterea sententiam hanc roborat quoq; Apostolicâ suâ autoritate D. Paulus Rom. 8. v. 29. Ubi decretum Electionis expressè vocat *ἄριστος*.

29. Antecedunt autem hoc decretum electionis (intellige, prioritatis ordinis, non temporis) alia nonnulla, quibus subternitur & determinatur: Ordo illorum contra autores absoluti decreti probè est observandus, & ex. c. 3. Gen. & Rom. 8. v. 29 à posteriori talis colligitur. 1. est decretum creationis hominum. 2. decretum præciti lapsus permissionis. 3. decretum Universalis per Christum restaurationis. 4. decretum Universalis vocationis. 5. decretum conversionis. 6. justificationis. 7. sanctificationis vel renovationis. 8. cōservationis & cōfirmationis. 9. æternæ glorificationis. Hic observationē meretur hoc axioma: Quo ordine & modo Deus ab æterno decrevit nos salvare, eodem salvat in tempore: & vicissim.

30. Secundo: Electio facta est juxta vel secundum illud propositum vel decretum æternum, vide loca suprâ citata: Ubi particula juxta vel secundum formalem causam & rationem electionis vel

vel ordinationis & constitutionis illius æternæ designat: Vertitur enim in *περὸς ἑσμῶν* vel decreto hōc *specialiter* accepto & ad salvandos perseveranter in Christum credentes restricto formalis ratio *electionis*, sicuti *glorificationis* ratio formalis ponitur in *δοικῆσαι* Dei, quā credentibus in Christum ad finem usq; confert actū salutem æternam. Hinc ut rectè dicimus, Deus *juxta δοικῆσαι specialē*, quā perseveranter in Christum credentibus actū confert salutem æternam, *formaliter* glorificat & salvat eos: ita rectè quoq; dictum statuimus, quod Deus *secundum* propositum vel decretum suum æternum *formaliter* elegit vel ordinavit & constituit in fide ad finem usq; perseverantes salvare.

31. *Tertiò*: Causa efficiens *πρώτη* vel *principalis* electionis est Deus, Pater, Filius & Spiritus S. Ephes. 1. v. 11. 2. Thess. 2. v. 13. Actor. 13. v. 48. Ubi notandum, Filium Dei *dupliciter* in electione considerari 1. ratione *essentia*, quatenus est unus & verus Deus cum Patre & Spiritu S. & sic unā indivisā actione cum Patre suo & Spiritu S. nos elegit ad vitam æternam, Johan. 13. v. 18. & 15. v. 16. Ubi non tantūm de electione ad Apostolatū loquitur Christus, sed includit etiam electionem ad vitam æternam. 2. ratione *officij*, quod in se suscepit & perfecit ut *Ἰανθρωπῶ*, quatenus nempe est constitutus Redemptor generis humani & Mediator inter Deum & homines; & sic *propter* eum electi sumus ad vitam æternam; unde non solūm à Christo, sed etiam *in* Christo, h. e. *per* & *propter* Christum, dicimur electi ante jacta mundi fundamenta Eph. 1. v. 4. 5.

32. *Quartò*: Causa *περὸς ἑσμῶν* vel *interna* electionis *impulsiva* est misericors Dei voluntas Rom. 9. v. 11. c. 11. v. 5. 6. Ephes. 1. v. 6. 2. Tim. 1. v. 9. 10. Joh. 3. v. 16. Rom. 11. v. 32. Intelligimus autem per misericordem Dei voluntatem gratuitum verèq; paternum misericordiæ favorem, & immensum amorem DEI, quo ille, nullo prorsus nostro motus merito, ad miserationem nostri fuit impulsus, & propter unicum meritum sive obedientiam Filij fide apprehensam credentes in gratiam recipere, peccata condonare, justificare ac æternū salvare constituit. Ex quibus *tria* colliguntur porismata: 1. gratiam Dei erga nos fundatam

esse in merito Christi: 2. ratione *oblationis* esse Universalem, quæ sese extendit ad totum genus humanum; ratione *applicationis vero* & *acceptationis* fieri particularem. 3. excludere ab actu electionis hominum virtutes & bona opera prævisa, quibus omnem vinum merendi detrahit Rom. 9. v. 11 c. 11. v. 5. 6.

33. Porro voluntas divina *distinguitur* in *προηγουμένην*, vel *antecedentem*, & *εποφύουσαν* vel *consequentem*, non quidem ratione *essentia* absolute & in se considerata; Sic enim una tantum est & simplex, nulloq; modo dividua: sed *ob triplicem respectum*. Appellatur enim *antecedens* 1. *respectu consequentis*, quæ prior est *ordine*, sed non *tempore*: Utraq; enim ab omni æternitate fuit in Deo immutabiliter. 2. *respectu omnium aliarum causarum*, quas modis omnibus antevertit, & in solo Deo spectatur, certum salutis ordinem constituyente. 3. *respectu hominum obedientia vel inobedientia*, cujus considerationem simpliciter antecedit. In *antecedente* n. voluntate finis h. e. salus, & media salutis considerantur, *quatenus* à Deo sunt *ordinata* & *constituta*, omnibusq; hominibus ex æquo *offeruntur*: *Consequens* autem voluntas considerationem obedientia vel inobedientia hominum subsequitur, & attendit finem istum atq; media salutis, *quatenus hæc jam actu* ab hominibus vel *acceptantur* vel *negliguntur*, & sic *vel actu salutem* mediante fide *consequuntur*, vel *actu* propter incredulitatem *æternæ damnationi adjudicantur*.

34. Fundamentum hujus distinctionis S. Scriptura nobis ostendit multis in locis: De voluntate *antecedente* lege Prophetam. Ezech. c. 18. v. 23. c. 33. v. 11. Apostolum Paulum Rom. 11. vers. 32. 1. Tim. 2. v. 4. Petrum 2. Epist. 3. v. 9. De voluntate *consequente* vide Joh. 6. vers. 40. Matth. 10. vers. 22. 1. Cor. 1. v. 21. Marc. 16. vers. 16. &c.

35. Ex quibus fluunt *hæc porismata* (1.) voluntatem Dei *antecedentem* ambitu suo comprehendere universos homines *sine discrimine* & *ullius individui exceptione*: Voluntatem autem *consequentem* *discriminare* inter *credentes* & *non-credentes*, item inter *perseverantes in fide*, & *αποστασας*: His decernit supplicium æternum; illis vitam & salutem æternam.

36. (2.) Utramq; voluntatem *μέτρηται* mediocrum salutis esse deter-

determinatam; sed media ista *aliter* considerantur respectu voluntatis antecedentis, *aliter* respectu consequentis, quod ex superioribus liquet. Hinc *diversa* nascuntur propositiones: Ad voluntatem *antecedentem* spectant illæ, quæ sunt *ita Universalis* ut de *omnibus* in Universum hominibus sonent: quales sunt sequentes & de *sine* h. e. salute nostrâ, & de *medijs* ad finem istum ducentibus: *Deus vult omnium misereri; omnes diligere; per Filium redimere; omnibus Filii meritum in verbo Evangelii fide apprehendendum offerre; in omnibus per auditum verbi fidem operari; omnes deniq; per fidem salvare &c.* Ad voluntatem *consequentem* referuntur propositiones *duorum* generum (1.) quæ sunt *ἁπλοῦς & ἁπλῆ* in universales, de omnibus sc. credentibus, quales sunt, *Deus vult omnes credentes in Christum justificare, sanctificare, in fide conservare, & tandem glorificare & salvare &c.* Nota hîc obiter harum *duarum* propositionum diversitatem: *Deus vult per fidem omnes homines salvare; Et Deus vult omnes credentes salvare: Hac* declarat voluntatem Dei *consequentem; illa antecedentem; in hac* fides spectatur, quatenus actu existit in hominibus; in *illâ*, simpliciter consideratur, quatenus est medium salutis à Deo ordinatum, sive id actu amplectentur homines, sive non. (2.) quæ sunt tantummodò *particulares* de solis in fide finaliter perseverantibus, quales sunt: *Deus vult solos in fide perseverantes usq; ad finem in eâ conservare, confirmare, & tandem aternâ beatitudine donare.*

37- (3.) Voluntatem consequentem non esse contradictoriè oppositam voluntati antecedenti, sed *ὑποτάκτως* subordinatam. Relegatur enim hic omnis species contradictionis per conditionem & determinationem *fidei* antecedenti voluntati inclusam: Vult enim Deus hac voluntate omnes homines salvari, non *absolutè*, sed *determinatè*, *per fidem* in Christum; vel etiam *conditionatè*, *si in Christum sine credituri.* Huic voluntati obtemperantes jam per consilium & decretum voluntatis consequentis salutem consequuntur: Qui verò consilium hoc voluntatis Dei antecedentis spernunt, ut Pharisæi Luc. 7. v. 30. illi per alterum illud decretum voluntatis consequentis aternæ damnationi adjudicantur, id quod cum voluntate Dei antecedente non pugnat, quippe quæ nunquam voluit, ut salventur omnes sive credant sive



non credant, sed ut salventur omnes, mediante fide in Christum.

38. Hinc ergo duo emergunt voluntatis consequentis decreta particularia ἐνλόγημα: Unum Electionis; alterum Reprobationis: Electionis decretum tale est: *Vivo ego Deus, volo & decerno, ut omnis, qui credit in Christum, inq̄, fide hac ad finem usq̄, perseverat, non pereat, sed habeat vitam eternam*, Joh: 3. v. 16. c. 6. v. 40. Matth: 10. v. 22. 1. Cor. 1. v. 21. Reprobationis decretum tale est: *Vivo Ego Deus, volo & decerno, ut, qui in Christum non credit, sed in incredulitate ad finem usq̄, perseverat, condemnetur, imo jammodò, b. e. ab eterno, sit damnationi addictus* Joh: 3. v. 18. Marc. 16. v. 16.

39. Postremò voluntas hæc divina, tam ἀποκρυφία quam ἐπιμένη, pro diverso respectu nominatur à veteribus jam abscondita, vel occulta, jam revelata: *Abscondita, quatenus ea ab æterno ante jacta mundi fundamenta, in arcano Dei sinu latuit, quasi occultata: Revelata, quatenus ea per Evangelium nobis in tempore est patèfacta.*

40. Sacramentarij abutuntur hac distinctione; illam vocantes voluntatem beneplaciti, *banc signi*, & statuentes, quod DEUS, quem voluntate signi vocet ad regnum gratiæ, eundem voluntate beneplaciti, & hac quidem solà motus, nullo respectu habito ad incredulitatem, ab æterno damnationi devoverit. Quæ cruda Theologia in Deo contradictorias fingit voluntates, & statuit, Deum aliud in verbo suo de hominum salute revelasse, aliud verò, imò contrarium planè in occulto retinuisse, quod doctrinæ genus meritò cum scripturâ rejicimus.

41. Quintò: Causa electionis ἀποκαταρκτική externa impulsiva est meritum Christi Servatoris nostri Ephes. 1. v. 4, 5, 10. 2. Timoth. 1. v. 9. quod ratione acquisitionis est Universale, & pro omnibus universorum hominum peccatis, eorumq̄; penis cum temporalibus cum æternis sufficientissimum & valore soluti precij & intentione tam Patris Filium suum ad redimendum universum genus humanum mittentis, quam Filii λύτρωσιν pro eo solventis; sed ratione applicationis fit particulare, quatenus maxima pars hominum id incredulitate suâ rejicit, & sic propriâ culpâ reatum æternæ damnationis sibi attrahit. Esa. 53. v. 6. Rom. 5. v. 18. 2. Cor. 5. v. 5.

v. 5. 1. Tim. 2. v. 6. c. 4. v. 10. 1. Ioh. 2. v. 2. Ioh. 4. v. 42. 1. Ioh. 4. v. 14. Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1. Heb. 10. v. 29. Ose. 13. v. 9. Matth. 22. à vers. 1. usq; ad 14. & Luc. 14. à vers. 16. usq; ad 24.

42. *Sexto: Objectum* Electionis sunt homines quos Deus ab aeterno præscivit virtute Spiritus S. per Evangelii prædicationem in Christum credituros, & in hac fide usq; ad finem vitæ perseveraturos. Iacob. 2. v. 5. 2. Thess. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 2. 5. Rom. 8. v. 30. 2. Tim. 1. v. 9. 10. Matth. 10. v. 22. c. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Apoc. 2. v. 10. 1. Cor. 1. v. 21. Ioh. 6. v. 40.

43. Ubi nota (1.) Objectum Electionis considerari *bifariam* 1. *materialiter, quatenus* sunt homines 2. *formaliter, quatenus* in Christum credunt, & in hac fide ad finem usq; perseverant. Unde manifestò apparet, fidem in decreto electionis sustinere *formalem rationem* Objecti, cuius respectu *determinationis* partibus fungitur: Et quia meritum Christi hic non spectatur tantum ratione *acquisitionis*, sed in primis ratione *fiducialis applicationis*, quæ perficitur solâ fide justificâ, hinc jam fides *alium* quoq; *modum considerandi* in decreto elections fortitur, *quatenus* nempe est medium vel principium, quò meritum Christi fiducialiter apprehenditur.

44. (2.) Fidem in decreto electionis attendi non tantum ratione *formæ* vel *essentiæ suæ*, quæ collocatur in fiduciali meritum Christi apprehensione, sed cum primis quoq; ratione *finalis perseverantiæ*. Non enim omnes credentes sunt electi, sed soli in fide ad finem usq; perseverantes, ut ex superioribus liquet manifestissimè.

45. (3.) Perseverantiam electorum in fide debere spectari, non *quoad actum continuum*, sed *quoad finem vel terminum vitæ ultimum*. Possunt namq; electi peccatis regnantibus, & securitate carnali fidem salvificam *penitus & totaliter* amittere, gratiâ Dei excidere; & Spiritum S. excutere, quod exempla Davidis, Petri, & aliorum sanctorum in peccata contra conscientiam prolapsorum *ὀφθαλμοφανεῶς* ostendunt & testatum faciunt, vide 2. Sam. 11. v. 4. 15. & Matth. 26. v. 70. 72. verum in iis *finaliter*  
non

non persistunt, sed resipiscentes in gratiam pristinam redeunt & aeternae salutis participes redduntur, quod nisi fieret, in numero Electorum censendi non essent.

46. (4.) Fidem ingredi electionis decretum, non ratione *actualis existentiae*; Sic enim illius tantum est *consequens*, & virtute Spiritus S. per Evangelij prædicationem *in tempore demum* producta: sed *ratione divinae praescientiae*, secundum quam ab aeterno omnia sunt Deo praesentia, nihil praeteritum, nihilq; futurum Rom. 8. v. 29. c. 11. v. 2. 1. Pet. 1. v. 2. Psal. 139. v. 16. Actor. 15. 18.

47. (5.) Fidem & perseverantiam in eâ finalem esse dona Dei *mediata*, non *immediata*; nec *absolute* sed *sub conditione usurpationis mediolorum* divinitus ordinatorum promissa, quæ quidem per prædicationem Evangelij omnibus *offeruntur*, sed virtute Spiritus S. solis ijs *conferuntur*, qui medijs divinitus ordinatis eo, quem Deus in verbo suo præscripsit, *modo* utuntur, h. e. qui verbum Dei *diligenter, serio & attentè* audiunt, legunt & meditantur, pijs precibus assiduè & indefinenter invigilant, atq; peccata contra conscientiam evitant 2. Theff. 2. v. 2. Col. 2. v. 12. Philip 1 v. 29. Matth. 13. v. 3. & seqq. Luc. 8. v. 5. & seqq. 2. Cor. 2. v. 16. Rom. 1. v. 16. Rom. 10. v. 17. Joh. 17. v. 20. Joh. 16. v. 23. 1. Joh. 5. vers. 14. Luc. 11. v. 13.

48. Porro de *Objecto* electionis in disquisitionem veniunt necnullæ quæstiones hoc in loco attingendæ: Quæritur enim (1.) An certus sit Electorum numerus? Resp. *distinguendo inter certitudinem absolutam*, quæ pendet à solâ & absolutâ Dei voluntate, nullis medijs determinatâ, nec ullâ conditione limitatâ; & *ordinatam* vel in *τῆς* divinitus constitutâ fundatam: Certus est eorum numerus, non *illo*, sed *hòc* modo; Et quidem 1. *ratione τῆς* illius *divinae*, decreto electionis inclusæ: *Qui crediderit in Christum & in eâ fide ad finem usq; perseverat, is salvus erit* 2. *ratione infallibilis Dei praescientiae*, quâ Deus novit ab aeterno, quinam *τῆς* illam sint secuturi & amplexuri, & quinam sint eam neglectui habituri atq; aspernaturi. vide 2. Tim. 2. vers. 19. Rom. 8. v. 29.

49. Quæst. (2.) An numerus electorum possit augeri vel minui? Resp. *distinguendo inter id, quod est ἀπλως vel absolu-*

ea & fatali quodam decreto, & quod est πῶς vel certo respectu impossi-  
 bile. Si quaestio explicetur & intelligatur de eo, quod est ἀπλῶς  
 impossibile, negativam tenemus. Non enim 1. ἀπλῶς impossi-  
 bile est, plures finaliter credere posse, modò media divini-  
 tus ordinata usurpare vellent; Ergo nec ἀπλῶς impossibile est,  
 plures posse eligi & sic Electorum numerum augeri. vide Matth.  
 ii. v. 21. Nec 2. ἀπλῶς impossibile est, illos, qui finaliter credunt,  
 posse non credere, si media divinitus ordinata repudiarent: Ergo  
 nec ἀπλῶς impossibile est, illos ipsos posse non eligi & sic nume-  
 rum electorum minui. Quod si verò quaestio explicetur & in-  
 telligatur de eo, quod est πῶς certoq; respectu impossibile, non  
 dubitamus affirmativa subscribere. Cum enim numerus cre-  
 dentium nec augeatur, nec minuatur, sed certitudini (ordinata  
 sc. non, absoluta) sit inclusus; Ergo impossibile quoq; est nume-  
 rum electorum augeri vel minui posse.

50. Q. (3.) An electi possint fieri & dici reprobi? R. di-  
 stincte sunt quaestiones, & postulant distinctam quoq; responso-  
 nem; Ad priorem ergo: An electi possint fieri reprobi? vel quod  
 idem: An qui semel inscripti sunt in librum vitae, rursus exinde  
 deleri & aeternum perire possint? Repetimus priorem distinctio-  
 nem & statuimus electos non posse fieri reprobos, non quidem  
 ob impossibilitatem absolutam, ex decreto quodam fatali & absoluto,  
 quod omnium salutis mediorum τῶς<sup>iv</sup> excludit, ortam, sed ob re-  
 spectivam, ex finali perseverantiâ electorum in fide salvificâ, infal-  
 libiliter à Deo præcità, & τῶς<sup>ei</sup> decreti electionis inclusâ, natam  
 & in eâ fundatam Heb. 3. v. 6. Matth. 24. v. 24, Rom. 8. vers. 30.  
 & 39.

51. Ad posteriorem: An nimirum electi possint dici reprobi:  
 vel quod idem: An electio & reprobatio de uno eodemq; subjecto præ-  
 dicari possint? R. Per distinctionem inter sensum compositum & di-  
 visum: Quoad illum, negamus: Non enim verè possumus affir-  
 mare in sensu composito, quod v. g. Petrus sit simul electus & repro-  
 batus. Quoad hunc verò affirmativa nobis arridet: Verè enim  
 dici-

C

dicitur: Petrus potuit aut eligi aut reprobari, nimirum propter ordinem, qui decreto electionis inclusus est, quiq; non absolute ad personas, sed determinate ad media salutis, quæ Petrus vel amplecti vel aspernari potuit, fixus est: Quod si ergo Petrus neglectis salutis mediis in Christum non perseveranter credidisset, non eligi, sed reprobari & damnari potuisset, quod ex antedictis etiam satis perspicue nobis constat.

52. *Septimo*: Electio facta est ab æterno, ante jacta mundi fundamenta, Eph. 1. v. 4. 2. Thess. 2. v. 13. 2. Tim. 1. v. 9. Decreta enim divina, in quorum censum etiam venit electio, fiunt in æternitate, sed decretorum illorum executio perficitur in tempore.

53. *Octavo*: Finis electionis consideratur vel respectu nostri; & sic est sanctificatio in regno gratiæ Eph. 1. v. 14 & glorificatio seu vitæ æternæ possessio in regno gloriæ, Act. 13. v. 48. 2. Tim. 1. v. 16. Rom. 8. v. 30. Eph. 1. v. 4. 2. Thess. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 2, 5. vel respectu Dei; atq; sic est gloriæ & misericordiæ ejus manifestatio, Eph. 1. v. 6. & 12.

54. Hactenus de *Electiōnis decreto*, quod concernit in Christum credentes, & in eâ ad finem usq; perseverantes: Huic contradistinctum est aliud, quod vocatur *decretum Reprobationis*, & sancitum est de incredulis, & in istâ incredulitate ad finem vitæ persistentibus.

55. *Definitur* autem *Reprobatio*, quod sit decretum divinum, juxta quod Deus ab æterno homines incredulos, & in istâ incredulitate ad finem usq; vitæ perseverantes justo judicio adjudicat æternæ damnationi ad declarandam suam justitiam, Ioh. 3. v. 16. 18. & 36. Marc. 16. v. 16. &c.

56. Circa hoc decretum nota (1.) Idipsum non esse absolute, ex absoluto quodam odio profectum, sed incredulitate finali ab æterno à Deo prævisâ determinatum. (2.) causam illius principalem esse Deum justum judicem (3.) causam  $\pi\epsilon\sigma\eta\gamma\ \mu\epsilon\lambda\epsilon\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ , justitiam Dei vindicatricem (ut ita de divinis loquamur  $\alpha\upsilon\theta\omicron\omega\pi\omega\mu\epsilon\lambda\epsilon\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ ) (4.) causam  $\pi\epsilon\sigma\eta\gamma\ \tau\alpha\ \rho\eta\mu\alpha\tau\omega\mu\epsilon\lambda\epsilon\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ , peccata lethifera, & imprimis:

primis incredulitatem, non *simpliciter*, sed *ratione finalis perseverantia* consideratam. (5.) *Formalem* consistere in ipsâ actione, quâ Deus ab æterno finaliter incredulos adjudicavit æterno supplicio. (6.) *Materialem* esse homines *finaliter* incredulos, quâ tales (7.) *Finalem* respectu *impiarum* æternam, in quam in extremo judicio præcipitabuntur, in inferno damnationem, & cruciatuum æternorum perpeffionem; respectu verò *Dei* declarationem justitiæ ejus peccata hominum vindicantis & punientis. Hæc ita *breviter* delineare visum fuit, cum de illis prolixius agere jam non liceat.

*Antistesin* quoq; ob brevitatem temporis omisimus, & ad ipsum disputationis conflictum rejjicimus.

Gloria soli Deo Triuni.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Glenn fol. Dec. Tanni







*ea & fatali quodam decreto, & quod est πῶς vel certe  
 bile. Si quæstio explicetur & intelligatur de eo,  
 impossibile, negativam tenemus. Non enim 1. ἀ  
 le est, plures finaliter credere posse, modò  
 tus ordinata usurpare vellent; Ergo nec ἀπλῶς  
 plures posse eligi & sic Electorum numerum auge  
 II. v. 21. Nec 2. ἀπλῶς impossibile est, illos, qui fi  
 posse non credere, si media divinitus ordinata rep  
 nec ἀπλῶς impossibile est, illos ipsos posse non e  
 rum electorum minui. Quod si verò quæstio  
 telligatur de eo, quod est πῶς certò, respectu im  
 dubitamus affirmativæ subscribere. Cum eni  
 dentium nec augeatur, nec minuatur, sed certit  
 sic, non, absoluta) sit inclusus; Ergo impossibile  
 rum electorum augeri vel minui posse.*

50. Q. (3.) An electi possint fieri & dici  
 sancte sunt quæstiones, & postulant distinctam  
 nem; Ad priorem ergo: An electi possint fieri repr  
 idem: An qui semel inscripti sunt in librum vita  
 deleri & aeternum perire possint? Repetimus pri  
 nem & statuimus electos non posse fieri reprobos  
 ob impossibilitatem absolutam, ex decreto quodam fa  
 quod omnium salutis mediorem τῶς, v. excludit, o  
 spectivam, ex finali perseverantiâ electorum in fide  
 libiliter à Deo præcitâ, & τῶς, i. decreti electionis  
 & in eâ fundatam Heb. 3. v. 6. Matth. 24. v. 24, R  
 & 39.

51. Ad posteriorem: An nimirum electi po  
 vel quod idem: An electio & reprobatio de uno code  
 dici possint? R. Per distinctionem inter sensum co  
 visum: Quoad illum, negamus: Non enim verè  
 mare in sensu composito, quod v. g. Petrus sit simul  
 batus. Quoad hunc verò affirmativa nobis arrid  
 C

